



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. IV. Illationes Mercori depelluntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

suadere, quod faciendo peccat : sed Advocatus, patrocinans causam minus probabili suadet Judici, ut pro illa causa decidat, quod sine peccato in nostra sententia non potest : ergo. Nam nego minorem : quia Advocatus non inducit Judicem ad sententiam pro sua parte ut minus probabili ferendam, sed tantum proponit momenta causae, & rationes expendendas. Limitat praedicta Terrillus, nisi aliqua opinio sit certo minus probabilis, & Judices semper contra illam judicent : tunc enim Confidicus advocando pro sententia minus probabili deciperet clientem, eumque ad expensas frustratorias incitaret. Sed in tali casu videtur opinio jam non certo probabilis, sicque variatur status quaestionis.

§. IV.

Illationes Mercori depelluntur.

17. **E**X haecenus dictis recte videtur sibi inferre Mercorus p. 2. a. 14 & seq. contra nostram sententiam de licita sequela opinionis minus tute, minusque probabilis, primo. Sacerdos peccat contra charitatem, si in administratione Sacramenti non operatur juxta opinionem tutiorem & probabiliorem faventem eorum validitati, ergo similiter peccabit contra charitatem Confessarius, si poenitenti consulat, vel alius quicumque amplectens minus probabilem in materia morali, quia similiter vel exponit, vel exponitur periculo magni damni spiritualis, nimirum operandi erroris.

Secundo, Medicus tenetur adhibere pharmacam tutiorem, & certiora : ergo etiam Confessarius tanquam Medicus animarum in regulandis poenitentium conscientis tenetur sequi sententiam tutiorem, ne similiter poenitentem conjiciat in periculum aberrandi a via virtutis, quod est magnum malum spirituale, ideoque est actus misericordiae, & eleemosyna spiritualis, *docere ignorantes.*

Tertio, Judex in sententiis ferendis tenetur sequi probabiliorem : sed quisque est judex suae conscientiae, an actus, qui occurrit, sit licitus : ergo quisque in ferendo iudicio practico, an actus hic & nunc sit licitus, tenetur sequi probabiliorem relicta minus probabili.

18. Verum ad omnes istas paritates, praesertim primam & secundam satis fit ex dictis, quod minister Sacramenti non sequens tutiora vel certa faventia validitati Sacramenti exponit Sacramentum periculo realis nullitatis, proximum periculo rea-

lis damni ; quemadmodum & Medicus dubia applicans medicamenta, & Judex ferens sententiam pro minus probabili, ideoque utriusque hic & nunc obstat lex certa tum Religionis, tum charitativum iustitiae. Atqui homo in controversia honestatis moralis amplectens opinionem certam, quanquam per directa motiva minus probabilem, nec se, nec alium conjicit in periculum gravi damni, nam incertus error materialis & invincibilis non est grave damnum [ut fingunt adversarii] cum certa veritas haberi non potest : neque aliquam legem naturalem evitandi quascunque materiales legis transgressiones Advertit hactenus ostenderunt.

Tertiam paritatem de iudice, quam Specialiter urget Mercorus, in primis retorqueo in auctorem : nam iudex publicus tenetur ferre sententiam in favorem rei possidentis, cum probationes sint obscurae : ergo similiter conscientia debet in favorem libertatis ferre sententiam, cum incerta & obscura est legis obligatio. Deinde opinio speculative & ex motivis directis minus probabilis, fit tamen practice probabilior iudicii motivis indirectis & reflexis : ergo cum iudex debeat iudicare secundum opinionem magis probabilem, poterit, imò juxta principia Mercori tenetur in conscientia benigniorem sententiam ex motivis directis minus probabilem amplecti.

Disparitas igitur est, quod iudicium forense sit institutum ad lites terminandas, partibus ius suum tribuendo, prout merita causae & inclinatio iustitiae requirit. Unde cum aequitas inclinet in partem probabiliorem, iudex officii sui, & iustitiae certae obligationi adversatur, si pro parte minus probabili fert sententiam ; neque potest illa sententia & iudicium aliquam moralem honestatem probabilitatem, necum certitudinem adimplere. At iudicium internum conscientiae est divinitus institutum ad regulandam voluntatem, ne in suis operationibus a Divina lege deflectat, ipsi imitando, quid hic & nunc licite vel illicite operetur. Cum ergo adsint principia certa, vel saltem probabiliora, quod practice liceat sequi opinionem, quae speculative per directa motiva minus probabilis apparet, nec aliquod praedictum tertium immineat, exinde certum & prudens conscientiae iudicium formari potest. Hic finio, atque haecenus dicta & disputata S. Ecclesiae iudicio submitto, DEI ter Opt. Max. gloriae, Desipite ac D. Thomae Aquinatis honori consacro.

